



I.
IN ANONYMI
HISTORIAM RERVM AVSTRIACARVM

A B

A. C. MCCCCLIV. VSQVE AD A. C. MCCCCLXVII.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I.
Libet eodem titulo uti, quem clarissimus Lambecius olim sua manu Codici, qui hoc loco in publicam lucem profertur, adscripsit. Chartaceus est, foliorum 89. non inelegantibus characteribus sæculo XV. exaratus, & ex Augusta Vindobonensi Bibliotheca depromptus, in qua inter historiæ profanæ Scriptores numero CDXLIII^o. reperitur. Cui Auctori tribuendus sit, nullo indicio, quamquam diligentissime eum pervolverim, deprehendere potui. Synchronum eventibus, quos recenset, fuisse, verba illa evincunt, quibus lucubrationem suam concludit: *Actum in die Marci anno Domini &c.* (quo siglo citra dubium numeri centenarii MCCCC. denotantur) *sexagesimo septimo.* Celeberrimum Austriacæ historiæ Scriptorem Gerardum de Roo ex hoc Codice plurima in usus suos derivasse, eruditissimus Gentilottus ex instituta inter utrumque collatione se collegisse commemorat, eidemque nomen Auctoris cognitum fuisse

Vol. III.

A

suspi-

susplicatur, nempe unius ex illis typo nondum editis, quos Gerardus in operis sui limine nominat, & quibus se plurimum adiutum fuisse profitetur.

II. Insignia sunt Anonymi nostri merita; ea enim, in quibus patrio sermone recensendis operam suam ponit, res summi in Austriæ historia momenti, nempe ab anno 1452. usque ad annum 1467. id est per tredecim annorum cursum gestas complectuntur. Nam si quæ umquam Austriæ funesta, funestissima certe fuerunt illa tempora, quibus Fridericus III. Imperator, idemque legitimus Austriacarum ditionum heres, eiusque frater Albertus VI., Ordines Austriaci, & urbs Vindobonensis acerrimis odiis, intestino & perniciosissimo bello inter se dissidebant, quo omnis Austriæ regio misere vastata & dilaniata est. Has vero tragicas scenas, adiectis nonnullis exteris eventibus, Chronographus noster, seposito omni partium studio, accurate & minutatim profequitur, planoque & simplici, ac pro ea ætate non inconcinno stylo ita exponit, ut singularis prudentia & acribia omni parte eluceat. Ex quibus eruditus Lector facile dispiciet, quam hoc opus ad illustrandam eorum temporum historiam idoneum sit.

